



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. DIONYSII || CARTHUSIANI, DE || DOCTRINA ET REGV-||lis  
vitae Christianæ**

**Dionysius <der Kartäuser>**

**Coloniae, 1577**

**VD16 D 1959**

Elenchus articolorum seu capitum libri Vitæ spiritualis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60177)

D. DIONYSII  
CARTHYSIANI VI-  
TAE SPIRITVALIS VTI-

lissimum compendium. Cui titu-  
lus Præcordiale. Procemi-  
um. Authoris.



Vid dilecte mi, quid *Prover. 30.*

dilecte cordis mei, qd  
est amantissime frater?

Ne dederis cor tuū va-  
nitati, neque dispergas  
animam tuam in mul-

tis. Vnum nanque necessarium est, & *Luc. 10.*

quicquid extra illud appetitur, inane  
est. De<sup>o</sup> enim vnum est, in quo est om-

nium bonorum & pulchrorum, ac de-  
siderabilium plenitudo. Et prop. *Deus omni*

terea nil vtique optandum, nil ad- *desiderabiliū*

mittendum, nil requirendum, nisi *plenitudo*

ipse & ea quæ nos ad ipsum diri- *solus est re-*

gunt atque deducunt. Omnis au- *quirendus.*

tem consolatio, omnisque decor  
& delectatio, quæ ab huius vnus de-

siderio, & contemplatione ani-  
mam distrahit, vitanda, spernendaque  
est. Nunc ergo, o anima, quoniam  
post

Can. 8.

post Deum nil verè atque simpliciter  
vnum est: quoniam omnis creatura à  
simplicitate & perfectione ac digni-  
tate diuina, infinitè occumbit, relin-  
que multa, supergredere vana, exclude  
creata, & adhære illi, qui fecit te. Pone  
eum vt signaculum super cor tuum,  
& in ipso solo fige te, & congrega ad  
eum omnes affectiones actionesque  
tuas. Omnem bonitatem ab ipso ex-  
pectes, illam pulchritudinem, quæ ei  
grata ac placita est, duntaxat deside-  
res, & in ipso te ipsam adornare, sta-  
bilire, simplicareque studeas, quate-  
nus sic pura & nuda absoluta atque  
syncera affecta, diuinitatis capaxsis,  
ardeatque in interiori affectu tuo di-  
uinus amor tanquam in Seraphin, in  
intellectu eterna sapientia splendeat,  
sicut in Cherubin: & ipsa quoque me-  
moria Deum benedictum in se com-  
prehendat, complectatur, ac teneat,  
ad instar thronorum. Scio dilectem i-  
mentis tuæ affectum, & quia sancti-  
tatis virtutumque zelo anima tua  
vulnerata sit, ideo quod tibi ad huius  
desideratæ perfectionis adeptionem,  
amplius conferre valet, tibi mihi que,  
vt queo conscribam, Denique quia  
affectum

effectum tuum in vno, vero, summo-  
que bono stabilire affectas: ea dunta-  
taxat scire & legere cupis, per quæ affe-  
ctus tuus in creatore suo, ardentior  
atque stabilior effici queat. Ideoque  
non rhetoricos quæris eloquij flores,  
neque verborum multitudinem dili-  
gis, nec curiosa subtilitate lætaris: sed  
compendiosum aliquod, quod menti  
facilius imprimi, firmitusque possit te-  
neri. Quod & ego implebo ut valeo,  
nedum tibi, sed mihi quoque hæc ip-  
sa conscribens, quatenus quorum affe-  
ctio vna est, studium ac labor confor-  
mes sint.

*De qualitate & conditione mentis  
humanae. Artic. I.*

**Q**uo natura entis dignior est  
atque simplicior, eo actio  
eius vniformior formiorque  
consistit. Vnde cum diuina  
natura præstantissima sit, & vnitas  
pura: omnis eius actio vniformis est,  
& simplex, incommutabilis & perfe-  
cta. Operatio autem angelicæ mentis  
æuo mensuratur, & diuinæ simplici-  
tati amplius conformatur. Porro  
rationalis

*Cur homo  
vsque adeo  
instabilis sit.*

rationalis anima, quoniam, in vniuersitate intellectualium substantiarum infima est: secundum naturam maxime instabilis est atque volubilis, neque in vno fixa manet, sed nisi custodiosissima a se sit custodia, vndique incessanter vagatur, nec æterno illi immensoque bono est intenta, quinimo difficulter ad ipsum erigitur, facilliter vero atque repente ab ipso recedens elabitur.

*Quomodo gratia Dei sit causa, atque origo omnis meritoria operationis in nobis. Articulus. II.*

**Q**uemadmodum naturalium operationum principium natura: sic gratia diuina meritoriarum omnium actionum causa est. Et sicut vnumquodque eo naturalem suam operationem expeditius fortiusque exercet, quo fuerit in ipso propria sua natura vigorosior, atque viuacior: sic mens humana, quo in ea gratia Dei maior ac plenior fuerit, eo diuinis incessabilius intendere



sinenter implorandus est Deus, quatenus gratiam suam menti nostræ infundat, eamque conferuet & augeat, & data quoque gratia diligentissimè custodienda, ne per inanem cordis effusionem dispareat, & negligentia ac ingritudinis anima rea fiat.

*Quid sit illud vnum, quod Christus Dominus necessarium esse disseruit. Art. III.*

**Q**uod optimum est, & Deo amplius in nobis placens, hoc utique summè necessarium est. Quid autem sit hoc, si inquiras: responsio diuersis modis, varijsque nominibus, reddi potest. Veruntamen in re ipsa vna est. Responderi quippe potest, quia charitas sit vnum, quod Saluator necessarium dixit. Rursus dici potest, quod puritas mentis, seu contemplatio Dei, sit hoc vnum. Sed omnia hæc rem vnã insinuant. Certum est enim id quod summa atque finalis animæ perfectio est, id vnum esse quod necessarium est. Charitas autem, seu cordis mundicia, & contemplatio Dei, vltimata hominis perfectio

LUC. 10.


fectio est. Vera nempe charitas passionum excessus excludit, & sine contemplatione dilecti esse nequit. Ideoque vnum quodque trium horum alia duo complectitur. Nuda enim & informis diuinorum agnitio, contemplatio dicenda non est: sed agnitio charitate formata, & cum affectu inflammans, ipsa est contemplatio. Sic ergo charitas contemplationem, & contemplatio charitatem complectitur: neque possibile est, vnum sine altero esse. Sed nec possibile est, aliquod horum adesse, si non fuerit mens ipsa à passionibus inordinatis expers, & à peccato immunis; non sic vt omnes passiones prorsus euicerit, & ab omni culpa libera sit: sed quoniam quo passiones magis refrenat & ab omni offensa sollicitius cauet: eo dilectioni & contemplationi aptior fiat. Porro si in mortali peccato sit, & passionibus seruiat: neque contemplatur, nec diligit, quia in gratia non est, sine qua nec contemplatio nec dilectio adest. Itaque hoc vnum quod necessarium est, existimet virtutum zelator, non aliud esse, quam cordis mundiciam. Sed &

&

302 D. DIONYS. CARTH.

& finis, hoc vnum quod necessarium est ritè censetur tanquam obiectale bonum. Cordis vero mūdicia, vt formalis perfectio, & intrinsecus finis, per quem Deo anima vnitur, adheret & in immenso æternoque bono contenta redditur atque quiescit, segregata à multis, & in vno confixa.

*Quod vniuersa mentis nostra intentio, atque propositum, in consideratione ac desiderio huius vnus figi debeat. Articulus IIII.*

 Voniam igitur mens humana secundum naturam tam mobilis est, atque instabilis: à contemplatione & amore huius vnus, quod necessarium est, subito cadit, nec in eodiu fixa existit. Propterea id ei optimum est, si in vno stabiliri debet, vt hoc vnum firmiter ac indelebiliter cordi atque affectui suo imprimat, & ad ipsum cuncta, quæ agit & patitur, referat, &

& omne suum exercitium ad ipsum  
 coordinet, quatenus dum se anima ab  
 hoc vno, quod necessarium est, elon-  
 gatam intelligit, aut distrahi sentit,  
 intimè doleat, protinusque ad ipsum  
 recurrat, & pro viribus in ipso stabili-  
 ri festinet, atque in hoc sancto labore  
 vniuersum vitæ huius tempus dedu-  
 cat. Quoniam quo in hac re vehemen-  
 tius proficit, eo melior est, perfectior,  
 & futuræ felicitati propinquior. Ita-  
 que quotiescunque nos passio aliqua  
 turbat, quoties in inflammat, inuidia  
 torquet, impatientia agitat, superbia  
 effert, gula obnubilat, accidia depri-  
 mit, pensamus & doleamus à purita-  
 te mentis, quæ sola necessaria est: nos  
 elongari ac distrahi, Vnde, ad amorē  
 puritatis mentalis animus mox reuo-  
 candus est, & ipsius affectu mundiciæ,  
 vniuersarum nebule passionum pror-  
 sus spernendæ sunt, & extirpandæ.  
 Præterea has immoderatas passiones  
 charitati esse contrarias, eiusque ex-  
 pulsivas, palam est. Elucescit quoque,  
 quia contemplationes summæ impe-  
 diant: & non solum hæ, sed & inutiles  
 phantasiæ cogitationesq; inanes, vagæ  
 &

*Consilium  
 spiritalis  
 profectus  
 optimum.*

*Quid impe-  
 diat contem-  
 plationem.*

&

& viles, contemplationem vel interrumpunt, vel auferunt. Itaque nunquam obliuioni tradenda est memoria huius vnus, sed iugiter ad ipsum est conuertendus mentis intuitus: ipsum siquidem est, propter quod venimus. Et ideo semper ardens vitæ monasticæ sectator sibi met, dicat: Ad quid venisti?

*De iugi atque sollicita custodia cordis.  
Articulus. V.*

**C**gitur cum sit mundicia seu puritas cordis, finale animæ nostræ bonum & summa perfectio: cuius intuitu omnia agenda, sustinendaque sunt, maxime desiderari debet, & pro eius adeptione infatigabiliter laborandum est. Adepta autem tanquam preciosissimus thesaurus, diligentissimè custodienda est. Sicut enim in arte medicinae, sanitas omnium medicamentorum finis est, sine qua nullum medicamentum optatur nec valet, nisi videlicet ad sanitatis reparationem proficiat, sic nullum exercitiorum nostrorum vtile putandum est, si non ad mentis puritatem

*Simili de  
cordis purita  
se.*

puritatem coadiuuet. Hic ergo sit oīs  
 noster labor, omnis diligētia, omnisq; *Philosoph.*  
 affectio, habere semp & vbiq; in p̄sen-  
 tia diuinæ lucis, & in æternæ maiesta-  
 tis, ac diuini vultus cuncta cernentis  
 conspectu cor mundum. Deniq; si in-  
 terroges, quomodo cor custodiendum  
 sit, quatenus semper, prout miserabili  
 huic vitæ est possibile, in puritate con-  
 sistat: respondendum, non aliter nisi  
 omnia inferiora, quæ in nobis sunt  
 secundum rationis censurā vtilitatēq;  
 intellectiuæ partis animæ gubernen-  
 tur. Vbi enim secundum congruentiā  
 superioris, non disponuntur subiecta,  
 turbatio est, quæ paci & puritati repu-  
 gnat. Quoniam ergo optimū hominis  
 est (vt Dionysius ait) secundum ratio-  
 nem esse, refrenandi sunt sensus, & o. *Dionysius.*  
 mnis sensualis affectio coercenda est,  
 vtpote ne menti distractionē inducant *Quæ vitia po-*  
 neq; lumen rationis obtenebrēt, quod *tissimum lu-*  
 ira, & impatientia præsertim effici- *men ratio-*  
 unt, sed & inuidia omne peruertit iu- *nis obtene-*  
 dicium, & superbia non sinit hominē *brent.*  
 agnoscere semetipsum. Porrò ventris  
 ingluuies, accidiam & somnolentiam  
 facit, cordisque oculum a contempla-  
 tione vehementer auertit. Quicunq;  
 v itaque

itaque cordis studet mundiciæ, nisi visum suum ubique, maximè autem in diuinis, custodiat, linguam quoque gubernet, aures etiam à vanis auertat rumoribus, & ab immoderamine cibi ac potus se temperet, sciat quoniam frustra laborat. Præterea si hæc cuncta custodit, nec tamen interiores passiones atq; affectus vincit & reprimat, si non discat dominari animo suo, & illos animæ motus extinguere, quæ puritati, dilectioni, s. & contemplationi repugnant, in uanum conatur. Ideoque circumspicere mens ea semper intra se diligenter perpendat, quæ cordis munditiã vel tollunt, siue offuscant. Dumque tale quippiam in se oriri aduertit, repente fortiterque occurrat: metuens semper ne preciosissimus suus thesaurus, qui est puritas eius, auferatur ab ea. Propter cuius custodiam atq; amorem omnia aduersa æquanimiter ferre oportet. Potissimè autem linguæ incustodia mentis serenitatem conturbat, ubertimque penitus inficit, Et qui loquax est, palam utiq; quoniam mente vacuus sit, pro cordis custodia sollicitudinem nullam gerens, nil quoq; proficiens. Insuper itaque in omni labore  
omniq;

DE VITA SPIRI. 507

omniq̄ue actu, mens ipsa vbertim, & si *Mens ad*  
 non continuè, ad creatorem erigenda *Deum cri-*  
 est: ea dicendo, quæ mentis affectum *genda.*  
 amplius igniunt, & deuotionem re-  
 nouare efficacius quæunt, vt est, Cor *psal. 50.*  
 mundum crea in me Deus. Et similia,  
 prout dñs dederit Et hoc in colloquijs,  
 in mensa, in opere exteriori semp agen-  
 dū est, quatenus discat anima, assuef-  
 catq̄ redire ad se, ne dissoluta & vaga,  
 à proposito cadat, puritatēq̄ amittat,  
 & à pristina gratia atq̄ feruore defici-  
 at. Semper q̄ppe vna spiritualis me-  
 ditatio, atq̄ interna affectio, gratiam  
 alit & roborat: & ad aliam quoq̄ dis-  
 ponit. Sicq̄ue tandem generatur in a-  
 nima habitus, quo faciliter delectabi-  
 liter postmodum faciet, quod paulo  
 antè laboriosè agebat. Et quia pauci  
 sunt, qui se ita custodiunt, ideo pauci  
 sinceri & perfecti iam fiunt. Necessè  
 est enim, vt omni tempore timoratè se  
 gerat, ac omni vespere consideret quæ-  
 admodum diem expenderit: & in qui-  
 bus se offendisse perceperit, hæc in  
 posterum deuitet, doleat, & occasio-  
 nes consimilis ruinae fugiat. Verun-  
 tamen in omnibus his nō confidat ho-  
 mo in se, sed à diuina benignitate opē  
 y 2 & gra-

& gratiam præcordialiter, perseveranterque impleret: neq; in incepto virtutum studio fatigationi succumbat, neq; aduersitatibus cedat: sed fortiter, fiducialiter, atq; constanter laboret.

*De septem meditandis secundum tempora certa,*

*Artic. VI.*

**N**ON sinit præsentis vitæ status vni cogitationi semper mentem nostram insistere, neq; possibile est contemplationi ac dilectioni Dei iugiter sine interruptione intendere: sed voluitur atque dilabitur aia de vno in aliud, Ideoque plures ei diuinæ meditatioes imprimendæ sunt, & non solum vnum, sed oia quæ ad salutem pertinent, charitatemq; promouet, vel timorem inducunt, in præcordijs nostris scribenda sunt, atq; firmissime infigenda, quatenus dum mens ipsa ab vna cogitatione salubri auertitur, ad aliam aliquam bonam protinus conuertatur, quemadmodum sæcularia corda ab vna cogitatione iniqua ad aliam cadunt. Deniq; ex consideratione multorum, quæ ad salutem pertinent,

*Plures diuinorum saluberrimæ meditationes statuendæ.*

tinent, amor Dei amplius in aīo inca-  
 lescit ac stabilitur, & ob id plura me-  
 moriter atq; solilitē intuenda sunt, q̄  
 ad puritatē & salutē proficiūt. Nam &  
 vicissitudo ista cogitationum, ipsi aīæ  
 propter recessum eius a diuina simpli- *Alteratio*  
 citate & immutabilitate naturalis est *suadetur ex-*  
 atq; iucunda. Est insuper utilis, q̄ cito *erciliorum.*  
 fatigatur mens ipsa, si vni cogitationi  
 ster diu intenta. Non tñ confusē, & in-  
 ordinatē meditanda sunt hæc, sed vni-  
 cuiq; diei, horæ, ac tēpori proportio-  
 nanda ac deputanda est meditatio ei  
 magis conueniens. Septem itaq; sunt,  
 quæ (vt mihi videtur) salubriter mēti  
 imprimuntur, & vtiliter cogitantur.  
 Vtpote, gloria cœli, mors, beneficia  
 Dei, iudicium tam singulorum q̄ oīm,  
 pœna inferni, passio Christi, & pro-  
 pria peccata atq; defectus. Horum ali-  
 qua charitatem inflammant, scilicet  
 gloria cœli, beneficia DEI, & passio  
 Christi. Alia verò timorem efficiunt.  
 Omnia autem mentem custodiunt, &  
 a malo præseruant. Poterit de his sep-  
 tem, secundū septē dies hebdomadæ so-  
 lennior haberi memoria. Vt die domi-  
 nica principaliter versetur memoria,  
 in contemplatione felicitatis cœlestis,  
 y 3 feria

feria secundade morte. tertia de beneficijs Dei, quarta de iudicio, quinta de inferno, sexta de passione, sabbato de peccatis. Nihilominus vnū quodq; istorum quolibet die cogitari potest, imò & debet, præsertimq; passio Christi, sed propter causam inductam. quolibet die præcipuè occupanda est anima in vno istorum.

*De quotidiano profectu, & optimo fructu exercitiorum nostrorum.*

*Articulus VII.*

*I. Ioan. 3.*

**P**

Vritati cordis visio Dei, que est tota merces essentialique præmium. correspondet, sed & charitati debetur visio Dei, & quo ardentius modò diligimus, eo postmodum clarius Deum videbimus. Vnde constat essentialiter idem esse, dilectionē Dei, & puritatē mentis. Nempe puritas animæ quædā præsupponit atq; includit, sine quibus nec vera charitas haberi potest, puta expulsionem peccatorum ac reformationem passionum, saltem secundum aliquem gradum. Perfecta vero dilectio, puritasque perfecta, perfectam quoque

quoque passionum reformationem  
 atq; victoriam exigit: ad quam perfe-  
 ctionē vniuersa totius vitæ præsentis  
 operatio ordinanda est. Veruntamen  
 quoniã (vt ait Philosophus) ars & vir-  
 tus sunt circa difficilia, sicut virtus at-  
 que perfectio hæc altissima atq; præ-  
 stantissima est, sic difficillimè & labo-  
 riosissimè adipiscitur. Ideoq; indefe-  
 so animo, ac firma fiducia conari opor-  
 tet, Deum inuocando atque in eo dun-  
 taxat sperando. Quod si aliquando,  
 pro libito nostro non exaudimur, vel  
 interdum mentem nostram instabi-  
 lem, aridamq; ac indeuotam inueni-  
 mus: non idcirco frangamur, sed cum  
 syncera fiducia constanter instemus,  
 & manum domini longanimitè præ-  
 stolemur, nosq; dispensationi cõmen-  
 demus diuinæ, certi quoniam ipsi cu-  
 ra est de nobis, & quia quandoq; gra-  
 tiam suam, vel suspendit, vel differt *1. Pet. 5.*  
 propter commodum nostrum. Inte-  
 rim etiam exteriores delitiæ viles atq;  
 carnales consolatiunculæ penitus con-  
 temnenda sunt, & cum gemitu & plan-  
 ctu est imploranda CHRISTI clemen-  
 tia. Et propter eius absentiam liben-  
 ter ad tempus in amaritudine simus,  
 y 4 sintque

sintq; tantisper nobis lachrymæ nostræ, & si non corporales, saltem internæ panes die ac nocte. Quemadmodum scriptum est; Renuit consolari a-

*Psal. 76,* nima mea. Quoniam itaque charitas æternæ vitæ meritoria est, neq; sine ea aliqua virtus, diuinæ est visionis meritoria, omnis actio ex charitate procedens diuina, vitam meretur æternam. Quemadmodū omnis operatio ex mortali nascens peccato, infernaliam promeretur tormenta. Quotiescunq; itaque mens nostra in Deum afficitur, toties æternam beatitudinem promeretur, seu ampliolem diuinæ visionis claritatem. Ideoque hic summus noster consistit profectus, & optimus omnium laborum fructus, frequens, ardensque mentis in Deum affectio: & quo in eum vberius frequentiusque erigimur, eo prorsus vehementius nobilitamur. deificamur atque proficimus. Denique sicut ignis consumit stupam, sic dilectionis effectus ac ardor peccatum, peccatiq; pœnam, Sed & sicut charitas summa est virtus, sic actio eius saluberrima extat. Propterea quicquid de diuinis & ad diuina peruenientibus, meditationi mentis occurrit,

*Affectus  
pius in Deū  
meretur æ-  
ternam bea-  
titudinem.*

DE VITA SPIRITUS 513

currit, ad Dei dilectionem & eleuationem mentis in Deum mox referre debemus, vt scilicet siue beneficia Dei, siue passionem Christi, seu aliud quippiam cogitemus, enitatur semper ex his in diuinum amorem compungi. Sed in omnibus ijs ab immoderata lætitia, à dissolutiōe cordis, à risu inani. pro viribus omnino abstinere oportet. Hæc quippe sollicitudinem, diligentiam, & recollectionem cordis impediunt atque effundunt: & qui illis lætatur, diuina vtique consolatione indignus efficitur.

*De duplici incitamento diuini amoris.*

*Articulus VIII.*

**Q**UO res melior est, eo amabilior est, & quod optimum est, summè vtique est laudabile. Quoniã ergo Deus benedictus naturaliter ac essentialiter bonus est, & immensa, perfecta, puraque bonitas, in qua est omnium desiderabilium, omniumque pulchrorum infinita ac incomprehensibilis plenitudo: videlicet æterna sapientia, incircūscriptibilis maiestas, omnipotens  
y s virtus,

*Perfectiones  
diuinae.*

virtus, inobtenebrabilis splendor, inexcogitabilis pietas, pax summa atque dulcissima, ardentissimus amor, iucundissima felicitas, gaudiosissima vita, indeficiensque imperium. Propterea ipse summè & naturaliter, & item propter seipsum desiderabilis est atque amabilis. Primum itaque inflammans animam in Dei amorem, est propria eius bonitas. seu contemplatio bonitatis diuinæ in seipsa. Secundum autem est, speculatio munificentiae & beneficiorum ipsius. Naturale enim est eum diligere qui alteri bona impendit, & circa eum munificus sit. Quo itaque beneficia diuinæ munificentiae circa nos plura maioraque sunt, eo Deum feruentius obligamur diligere: & grauius quoque peccamus non diligentes. De beneficijs autem ac misericordijs Dei nostri super nos, postmodum mentio erit. Igitur iam nunc dilige anima mea dominum, ama Deum creatorem tuum, amplectere & complectere eum intra teipsam. Munda affectum & praepara ei locum, quoniam propè est omnibus inuocantibus eum. Noli obliuisci gratias, ac misericordias eius, sed dic ei cum sincero

DE VITA SPIRI: 513

cero suspirio: Nomen tuum & memo *Psal. 144.*  
 riale tuum Domine in desiderio ani *Psal. 102.*  
 mæ meæ. Rursusque: Ne auertas faci *Esaie 26.*  
 em tuam à puero tuo. Non enim ò a *Psal. 68.*  
 nima pacem extra eum inuenies, non  
 conscientia serenam quietem, non ve *Cant. 1.*  
 ram consolationē, nec desiderij tui sa *Psal. 104.*  
 tietatem. Porro si ei constanter adhæ  
 seris, si ei perseueranter clamaueris:  
 trahe me post te, si faciē eius incessan  
 ter quæsieris: cito utiq; apparebit tibi  
 & conuertet cor tuum in se, stabiliens  
 & illustrans te in sui contemplatione  
 atque amore: & tunc veraciter gusta  
 bis, quoniam suavis est dominus. *Psal. 33.*  
 Admirabiles enim, dulcissimas, &  
 mundissimas subinde delectationes  
 ex diuino fonte, & bono DEO hau  
 ries & experieris: & ex tunc desipiet  
 tibi caro, omnisq; indigna & carnalis  
 oblectatio contemnetur à te: & quod  
 tibi paulo antè laboriosum extitit,  
 mentem scilicet à multis abstrahere  
 & in Deo figere, iam promptum erit  
 atque iucundum. Veruntamen in  
 primis necesse est, circa purgationem  
 passionum insistere, & ex timore ho  
 minem ordinare, atq; in consideratio  
 ne dominicę passionis & humilitatis,  
 y o huma

§16 D. DIONYS. CARTH.

humanitatisq; Christi animam exercere: & sic demum ad feruidos diuinæ bonitatis affectus cor leuare, atque ad lucidissimas, inuisibilis, incorporeæ, ac simplicissimæ, diuinitatis contemplationes mentem attollere.

*Quod ad sedulam cordis custodiam,  
per magnum incitamentum sit,  
seria de diuina maiestatis  
præsentia cogitatio.*

Artic. IX.

Diuina præsentia semper in omnibus cogitatis quid efficiat.



Ille est atque peruersum, plus venerari, vel timere hominū vultum, quàm diuinum conspectum. Quo itaq; pacto mi dilectissime frater, audemus Deo spectante cogitare, quod homine audiente non audemus proferre? Denique quomodo non erubescimus ea Deo cōspiciente appetere, quæ corā hominib; confundimur operari vel dicere? Sed & qualiter audemus in diuini vultus præsentia facere, quod honesto aliquo viro præsentem formidamus efficere? Palam est ideo nos ista peragere, quoniam amplius hominem quam Deum honoramus atque metuimus: Sed quid

quid ait altissimus? Ego, inquit, glorificantes me glorifico. Qui vero Deum negligit & spernit, negligetur & spernetur ab eo: quoniam quem ipse despicit, nullus corrigit. Ideo studiosa deuotaque mens, se coram diuino aspectu cogitet semper consistere: omnesq; suas cogitationes, verba, & actus perpendat Deum semper atque ubiq; inspicere, dicens cum sanctissimis Helia & Heliseo: Viuit Dominus, in cuius conspectu sto hodie. Vocetque cum Agar matre Ismaëlis locum omnem in quo fuerit, Dominus videt. Enimvero si in Dei præsentia nos esse perpendimus, eiusq; immensam maiestatem pensamus: cum utique plus quam hominem, aliquem venerari satagemus. Si vero eius contemplerur inflexibilem iustitiam, ac metuendum iudicium, mox utique metuemus, & merito cum timore & tremore nostram operemur salutem, pensantes quam sit horrendum incidere in manus Dei viuentis, qui nec minimum malum impunitum relinquit. Insuper si diuinæ mentis sanctitatem aduertimus, erubescemus coram tam mundissimo ac sanctissimo Deo turpiter agere, & in-

1. Reg. 2.

Eccle. 7.

1. Reg. 17.

4. Reg. 3.

Gen. 16.

Philip. 2.

Hebr. 10.

*Eccle. 12.*

honestè inobedienterque viuere. Quo enim qui offenditur dignior est, eo & culpa grauior est. Cumque Deus incōparabilis & omnino infinite dignitatis existat, culpa omnis qua ei inobedientes sumus, infinitam enormitatem. Est enim auersio ab infinito bono. Denuo, quo aliquis sanctior & iustior est, eo iniustitia atque malitia ei amplius displicent. Deus autem essentialiter sanctus est, & supersubstantialis ac infinita sanctitas atq; iustitia: ideoque inestimabiliter ac incomparabiliter ei displicet peccatum, & recessus ab eo. Hinc ergo vehemēter o pręcordialissime amice & in Christo dimidium animę meę, nos timere oportet, ne tam immensam maiestatem inhonoremus, neq; tam infalibilem iustitiam obluiscamur, ne coram tam sancto & mundo Deo, immundè atque iniquè viuamus, sed cū affectu & sollicitudine enitamur, mentem nostram ei semper purā offerre, & dum in cellis soli conquiescimus, eius semper pręsentiam cogitemus, diligamus, formidemus ac honoremus, & ipsum nobiscum semper habere conemur, Neque enim longè est ab

vno-


*Act. 17.*

DE VITA SPIRI. 519

vnoquoque nostrum, quoniam in ipso sumus, mouemur & viuim⁹, & ipse omnibus intimus est, cunctaque penetrat. Ipse siquidem de se loquens: Cœlum, ait, & terram ego impleo. Sin autē solitudo nostra misera, erimus. *Hiere. 23.* que infeliliter soli, non feliciter solitarij.

SEQVVTVR SEPTEM  
*feriarum meditationes  
vtilissima.*

*Dominico die meditandum de coelesti  
atque eterna felicitate sanctorum. Articulus. X.*

culus non vidit, nec au *Die domi-*  
ris audiuit neque in cor ho- *nico quid*  
minis ascenderunt, quæ *meditandū.*  
præparauit Deus electis *Esaie 64.*  
suis. Quid enim præparauit beni- *1. Cor. 2.*  
gnissimus Deus diligentibus se nisi  
seipsum? Porro ipse inuisibilis est  
audiri que nequit & comprehendi nō  
valet. Non nobis præparauit creatu-  
ram aliquam seu bonum finitum, sed  
seipsum

*Iohan. i.  
Rom. ii.  
Gaudium  
quid sit.*

seipsum ut eum videamus, diligamus ac possideamus, ipsoque fruente æternaliter contentemur. Porro gaudium est diffusio animi in conceptione boni, quo itaque id quod apprehenditur: melius est magisque conueniens, & potentia apprehendens præstantior, ipsaque apprehensio clarior, eo gaudium ex huiusmodi apprehensione proueniens, plenius est atque iucundius. Deus autem sublimis, quo omnes beati fruuntur in patria, est infinita bonitas, qua adepti nil amplius appeti valet, omnem perfectionem, omnemque nobilitatem ac pulchritudinem, cum immensa plenitudine cõprehendens, estq; diuina bonitas omni creatæ menti eam cernenti conuenientissima atque dulcissima. Sed & Deus æterna & increata sapientia est, exemplarisque veritas intellectum penitus implens, & omni agnitione ac veritate adornans & felicitans. Constat ergo quod visio patriæ ex parte obiecti scilicet Dei sit summè iucunda, omnem, delectationem omnemque lætitiã ineffabiliter, incõparabiliterque præcellens. Denique intellectus dignissima ac diuinissima  
potentia

DE VITA SPIRI. 521

potentia est, & vnio quoque seu apprehensio intellectus in patria clarissima est ac immediata. Erit enim facie ad faciem, & erimus tunc ei similes, quoniam videbimus eum sicuti est.

1. Iohan 3.

Contemplare o anima vt vales, quale erit gaudium videre æternam illam essentiam, & clare cognoscere, quem admodum ipsa æterna sit à nullo facta nec creata, neque dependens sed sibi ex se in se & per se sufficiens, omnia creans, intelligens, conseruans, administrans, atque gubernans. Admirabilem & incircumscripibilem & incomprehensibilem Deum per essentiam & in se ipso lucidè & clarè intelligere, & eius fontali sapientia totius vniuersi ordinem, omnemque veritatem atque secretissima intueri. Frui quoque immenso bono & id semp possidere, & quicquid desiderabile pulchrumque existit, in ipso habere, sicque æterna irradiari sapientia, & diuina impleri bonitate, vt omne desiderium intellectus & voluntatis omnino satisfietur & cõtentum reddatur. Gustare insuper diuinæ pacis dulcedinem, & amore creatoris profus absorberi, in Deum transformari, & eum semper

Contempleri Deum.

Frui Deum.

Gustare Deum.

in se complecti: neque ab eius ample-  
 xu, amore, atq; aspectu vnquam pos-  
 se auelli. Videre demum superbene-  
 dictam trinitatem, & inspicere, quem  
 admodum ab æterno patre generetur  
 filius, patri coæternus, coequalis &  
 consubstantialis: quomodo etiam ab  
 utroque procedat spiritus sanctus, &  
 quemadmodum pater diligit filium,  
 & filius patrem, atque vterque spi-  
 ritum sanctum, quæ diuinarum ha-  
 rum personarum mutua complacen-  
 tia, nexus, amor & gloria. Postremo  
 videre in Christo ex diuina, atque hu-  
 mana natura, vnam constare perso-  
 nam: & gloriam ac pulchritudinem  
 humanitatis in Christo, & qualiter su-  
 per omnē angelicā altitudinē exaltata  
 sit inæstimabili excellentia, videre  
 quoque gloriam atque decorē aman-  
 tissimæ Dei vnicæ virginis, præelectæ  
 Mariæ, & mutuam eius & filij sui fa-  
 miliaritatem atque amorem: specu-  
 lari quoque Hierarchias cœlestes, or-  
 dinesq; angelicos, & quomodo milia  
 milium ministrant creatori, deciesq;  
 milies centena milia Deo assistāt, &  
 quemadmodum non sit numerus mi-  
 litum eius. Cernere etiā vniuersitatē  
 ho-

*Contempla-  
 ri vnam in  
 Christo per-  
 sonam.*

*Dan. 7.  
 Iob. 15.*

hominum electorum, prophetarum, apostolorum, martyrum, ac confessorum, virginumque totius cœlestis militiæ inuiolabilem pacem, feruidissimam charitatem, iucundissimam societatem, inconcusibilem securitatem, æternā beatitudinem, inenarrabilem gloriam, & splendidissimam pulchritudinem: vbi impossibile est deesse quod amatur, adesse quod oditur: vbi Deus omnia implet, omnia in se trahit, & omnia possidet. Misera & infelix nimis anima, quæ propter vilissimas mundi huius delicias, propter turpissimas carnis libidines, & momentaneas delectationes ac pompas, tanto se gaudio priuat, & irā Dei pœnamque æternam acquirat. Amandus nobis es, & super omnia ardentissimè diligēdus, ô sancte creator, adorande Deus, qui pauperrimis istis vermiculis talia præparasti. Et tu ô rex Messia, ô altissime Christe, qui amissam olim beatitudinem istam, nobis nō auro neq; argento: sed proprio sanguine atque turpissima ac amarissima tua morte reparasti. *1 Pet. 1.* Cur dormis ô anima, cur mœrore consumeris, cur te accidia premit, quare nō diligis  
 cur

*Psal. 38.*

cur non desideras, neque suspiras? Intende paulisper quæ nam tibi parentur in patria, & propter amorem illorum vilipende interim præsentis gaudia vitæ. Pensa quoniam exul & peregrina sis super terram, & cum affectu festina ad patriam. Qui namque temporales quærit delirias, & qui non quotidie æstuanti desiderio suspirat ad beatitudinem istã, non est utiq; ea dignus. Ama quoquo modo hic nesciri & sperni, vt illic ab omnibus electis agnoscaris & honoreris. Non fatigatio te pusillanimum, nec pigritia legnem efficiat, pro æterna beatitudine laborantem.

*Feria secunda meditandum de  
morte. Articulus XI.*

*Feria secundam meditandum.*

**Q**ui se quotidie præsentem vitam, atq; vniuersam eius gloriam, cito amissurum cogitat: facile ea quæ nunc dulcia ac bona videntur contemnet, & Dei timorem incurrit: eaque congregare festinat, qua sibi in extremæ necessitatis articulo proderunt, atque egredientem animam comitabuntur. Ideoque hoc

nobis

nobis expedit, vt quotidie alloqua-  
mur animam nostram, dicentes: Scito  
ô anima, quoniam in breui veniet ho-  
ra vt transeas ex hoc mundo in regio-  
nem ignotam & districto tribunali  
Christi te mox astare oportebit. Ve-  
niet cito tempus amarissimæ mortis,  
dum tempus omisum, & infructuosè  
neglectum recuperare non poteris.  
Nihilque te iuuare, aut consolari va-  
lebit eorum, quæ nunc inordinatè di-  
ligis iniusteque agis: sed tunc sequen-  
tur te opera tua, tam mala quàm bo-  
na, neque erit tibi in hora illa conso-  
latio aliqua: nisi memoria atque fidu-  
cia bonæ vitæ præteritæ, & succursus  
diuinæ clementiæ. Tunc dolebis te tã  
intimoratè ac negligenter vixisse, o-  
mississe tot bona, commisisse tot ma-  
la. Tunc te horroꝝ concurret, & vasta-  
bit anxietas, torquebitque remorsus,  
ac vermis conscientiæ malæ. Itaque  
iam poenitentiam age, modo labora,  
moresq; corrige, ne tunc sero misero  
miserabiliter, & formidolosè procla-  
mes, inducias vel vnus horæ. Porro vt  
tenacius menti inhæreat meditatio  
mortis assidua, vtile valde est, imagi-  
nem hominis morientis cordi impri-  
mere.

*Apoc. 14.*

*Matt. 4.*

*Gregorius.*

*Imago mo-  
riētis ob ocu-  
los statuen-  
da crebrius.*

mere. Pensandum namque est, quem  
 admodum tunc inualidæ manus  
 nigrescant, vultus palleſcat, os contra  
 hi, visus obtenebrari, & oculi profun  
 dari incipiant, quomodo demum  
 pulsus caprizare, halitusque deficere,  
 & ex intimo se colligere inchoent,  
 mox quoque sudor mortis aſſit, victã  
 eſſe naturam conſtã, & ipſe morti  
 feræ atque duriffimæ mortis pũcturæ  
 cor ſuffocare ac ſcindere conentur.  
 Quumque his anima vallata preſſu  
 ris, lucem mundi videre deſinit, & al  
 terius ſtatum ſæculi interioribus ocu  
 lis aſpicere incipit: aſſunt repente cru  
 entæ beſtiæ atque laruales demonum  
 facies & cateruæ, renouant peccata  
 præterita, ſi fortè deſperationem in  
 ducant, & exeuntem præſtolantur a  
 nimam, ſi fortè eis torquenda præſte  
 tur. Hæc præmeditari vera ſapientia  
 eſt, nec eſt vtilior ſcientia quam di  
 ſcere mori, hoc eſt, ſeipſum quotidie  
 ad mortem diſponere, & ad eius ad  
 uentum omni die paratum exiſtere, vt  
 ſcilicet nil in mēte reſideat, quod cõ  
 ſcientiam mordet, & cum quo mori ti  
 memus. Hoc nempe eſt quod Saluator  
 docet.

DE VITA SPIRI. 527

docet. Vigilate, inquit, quia nescitis diem neque horam. Et quod alibi quoque scriptum est, Memēto creatoris tui, in diebus iuuentutis tuę, antequam veniat tempus afflictionis tuę. Quotidie ergo mortificemus desideria nostra, & omnem a nobis abscindamus mundanum affectum, nil concupiscentes eorum quę in mundo sunt: illuc nos intimē conuertentes ubi æternaliter erimus & viuemus, quatenus cupiamus & nos cum diuino Aposto. absolui, & esse cum Christo. Beatus enim seruus ille, quem cum venerit Dominus, inuenit vigilantē. Ideo & Theophilus Alexandrinus olim episcopus morti propinquans dixit de abbate Arsenio, Beatus es abbas Arseni, quoniam hęc horam semper pre oculis habuisti. Denique abbas Helias. Ego inquit tres res timeo. Vnam quando anima mea egressura est de corpore. Secundam, quando concursurus sum Deo. Tertiã quando sententia iudicis proferetur de me. Et nos igitur dilecte mi hęc tria formidemus & vilescet nobis hic mundus omnisque decor, & concupiscentia & gloria eius.

Matth. 25.

Mar. 13.

Eccle. 12.

Philip. 1.

Luc. 12.

*Feria*

*Feria tertia meditandum de intenta  
consideratione beneficiorum Dei.**Articulus. XII.**Feria tertia  
meditandum*

Ria sunt, ex quibus beneficij  
magnitudo pensatur. Primū  
est, excellentia dantis. Secū-  
dum, paruitas recipientis.  
Quo enim dator est dignior, & reci-  
piens minor: eo in dono seu beneficio  
amplior apparet ex parte donantis  
dignatio, atque ex parte recipientis  
vehementior exigitur gratitudo. Quē-  
admodum si rex præpotens egeno ali-  
cui aliquid præstet. Tertium autem, ex  
quo beneficij magnitudo attenditur,  
est dignitas doni. Quoniam ergo ma-  
iestas fontis atque datoris vniuerso-  
rum donorum, incircumscriptibilis  
est, incomparabilis atque immensa,  
appareat in beneficijs Dei summa ac  
infinita dignatio. Denique quoniam  
paruitas & fragilitas, ac insufficientia  
nostra ineffabilis est, multaq; nimis,  
ex parte nostri summa requiritur grati-  
tudo. Qualia vero sint beneficia Dei,  
solenter intueri oportet. Beneficioū  
autem Dei, quedam sunt dona natu-  
ræ, quedam vero dona gratiæ, & vtra-  
que

*Beneficia  
Dei duplicia*

DE VITA SPIRI. 529

que duplicia sunt, generalia scilicet ac specialia. Dona naturæ sunt creatio, *Naturæ.* gubernatio, & conseruatio. *Actu. 17.* Recordare ergo, quoniam à Deo habes esse, viuere, sentire, mouere, ac intelligere. Et quicquid naturalis perfectionis, pulchritudinis, atque decoris in anima carneq; habes, diuinitus tibi impartitum non obliuiscaris. Si ingenio polles, si corpore pulcher es, si gratiofus, si prudens, si robustus, si eloquēs, agnosce te hæc ab authore naturæ recepisse & ipsi gratus esse satage. Præterea quis beneficia enumerare sufficiat? Quis ea dignè contemplari, ponderare, laudare, ac diligere possit? Inter quæ summum atque dignissimum ipsa est incarnatio filij Dei: in qua ardentissimus eius amor, immensa bonitas, inæstimabilisque misericordia splendent, Denique quod propter nos *Barn. 3.* in terris inter homines conuersatus est, atque ab eis multa perpeffus, ac demum amarissima morte occisus: quod *1. Pct. 1.* nos proprio sanguine ab infernali æternaque pœna redemit, & angelicæ *Titum. 3.* beatitudinis, ac perpetuæ iucunditatis hæredes constituit. Quod ex aqua & spiritu sancto nos regenerauit, & à

z                      multis

¶ **Sto D. DIONYS. CARTH.**

multis piculis grauibuscq; peccatis fer-  
uauit, Quod delinquentib; misertus e,  
& dū in mortalibus eramus peccatis,  
non nos subito iuste damnauit, sed  
longanimiter expectauit. Et insuper  
ex mundo reduxit, & inter suos ad su-  
um deputauit obsequium: quum ta-  
men multos interim, nobis vel notos  
vel propinquos, aut certē coætaneos,  
nobis fortē meliores ab hac vita abstra-  
xit: & vel in inferno aut in purgatorio  
iuste proiecit. Specialia verò beneficia  
Dei vnusquisque in seipso considera-  
re debet, quomodo, s. sibi quotidie suc-  
currat & assistit, ignoscat & gratiam  
praestet: in sacris quoque ordinibus  
constituerit atque carne sua ac sang-  
uine alat. Pro ijs esto o anima grata  
Deo, tantumq; benefactorem contem-  
plare & dilige, & omne bonū, omnem  
gratiam, omneq; meritum ei semper  
ascribe, ne per ingratitudinem donis  
eius fias indigna, quoniam ab eo om-  
nis boni exordium est, continuatio, at-  
que perfectio. Si humanæ beneficentię  
immemorem atque ingratum existe-  
re, non solum inhumanum sed & plus  
quam bestiale censetur. (Quū & canis  
& leo, proprium nutritorem adiuto-  
rem.

*Specialia  
Dei benefi-  
cia meditan-  
da.*

remque diligunt) Quanto magis diu-  
 nis beneficijs, quæ in seipsis incompa-  
 rabilia sunt atque dignissima, & maxi-  
 mam gratitudinem propter dignatio-  
 nem dantis requirunt, ingratum fore  
 itemque immemorem, iniquissimum,  
 impiissimumque consilium? Nunquam  
 ergo ò anima à memoria tua excidat  
 diuinorum contemplatio beneficiorum:  
 sed ex eorum intentissima pondera-  
 tione ad Dei tui amorem feruentem  
 te semper erigere incitareque stude. *Matth. 25.*  
 Habenti nanque, id est grato, dabitur  
 & abundabit. Ei verò qui non habet,  
 id est, ingrato, & quod videtur habere,  
 auferetur ab eo.

*Feria quarta meditandum,*

*De iusto ac metuendo Dei iudicio.*

*Articulus XIII.*

**N**il horribilius cogitari valet,  
 quam districtum illud no- *Feria quar-*  
 vissimum iudicium Dei. Si *ta quid me-*  
 enim ipsum non esset infer- *ditandum.*  
 no pœnalius, non vtique orasset san-  
 ctus propheta, Quis mihi tribuat vt in  
 inferno protegas & abscondas me, do *Iob 14.*  
 nec pertranseat furor tuus? Ideoque iu-  
 dicij illius qualecunque præambulum  
 z z expertus

*Hieron.* expertus sanctus Hierony. ait: Siue comedo siue bibo. siue dormio, siue vigilo, seu aliud aliquid egero, semper insonat auribus mentis meæ illius horribilis tuba sonitus, Surgite mortui, venite ad iudicium. Nunc ergo o præcharissime frater, recolligamus paulisper animã nostram, & sollicito corde describamus interioribus oculis nostris extremi illius iudicij modũ atque

*Luca 21.* entẽ cœlestẽ iudicẽ, cum milibus angelorum ac hominũ, cũq; omni militia

*1. Cor. 15.* superni exercitus in nubibus cœli, super vallem Iosaphat. Pensemus quoq;

*Sapient. 5.* in momento, in ista oculi vniuersos resurgere, & ad Dei iudicium aduenire. Tunc stabunt iusti in magna constantia, aduersus eos qui se angustiauerunt, eruntq; electi eleuati a terra stantes in aëre: impij vero ac reprobiiacebunt in terra, q̄ dilexerunt, plumbo grauiore, durioreq; ferro. Eruntq; tunc cum iudice securi, qui modo

*Augusti.* non sunt securi: & rursus tunc pauebunt, q̄ modo metuere nolunt, O horrendæ & inexcogitabiles tunc reproborum angustia. Videbunt enim vndiq; & eccẽ super eos iratus, districtus, inflexi-

DE VITA SPIRI. 533

flexibilis iudex, infra eos horridum inferni chaos, apertum & patens. In circuitu ardens mundus, & ignita elementa peccatores inflammantia. intus conscientia vrens, atque hinc inde dæmonum turba accusans. Si tunc iustus vix *1. Pet. 6.* saluabitur, peccator & impius vbi remanebit? O peccatoris confusio. Tunc nempe reproborum vniuersa peccata atque arcana, omnibus ac singulis tam angelis quàm hominibus elucescent: quatenus omnes iustissimum Dei iudicium esse intelligant. In hora illa videntes iniqui iortem iustorum turbabuntur timore horribili, & præ angustia spiritus gementes dicent, Nos *Sapient. 5.* insensati vitam illorum æstimabamus insaniam. Faciem suam ab ira vultus *Luca 23.* iudicis quærent auertere, & non poterunt: dicent montibus, cadite super nos: & collibus, operite nos: nec tam è latere valebunt. Tunc videbunt impij *Ioan. 19.* in quem transfixerunt, & ingrati eum qui pro ipsis transfixus est, quem ipsi spreuerunt. Tunc computabuntur ac præmiabuntur mali Christiani cum his, qui Christum pupugerunt, & occiderunt. Sed precor te ò adorande

CHRISTE, ò Iesu dulcissime, non

z 3 inu-

*Actu. 3.**Iob 24.**Matth. 21.**Matth. 23.**© peccatorū  
infeicifi-  
mum exiliū.*

inueniamur ergo & dilectus meus cui  
hæc scribo, in die illo in infelicissimo  
eorum catalogo, qui te sacrilegis ac  
sceleratissimis manibus suspendentes  
peremerunt, quod & pro omnibus ro-  
go, pro quibus te oro, orare que habeo.  
Denique nullum tunc malum, nec in-  
discussum, nec inultum transibit. De  
omni cogitatione iniqua, de omni  
verbo otioso, de omni opere malo, de  
omni tempore iam concessio, tunc exi-  
getur iustissima & efficax ratio. Tunc  
dicet iudex ijs qui ad sinistram sunt,  
Ite maledicti in ignem æternum. Et  
ecce mox aperiens terra os suum deglu-  
tiet impios, inuoluetque eos ignis,  
quo elementa ardebunt: & cum totius  
mundi immunditia atque scetore, in æ-  
terna eos tormenta intrudet, ipsis autē  
in profunda gehennæ ruentibus, ascē-  
dent electi in alta polorum, reprobis  
id ipsum videntibus, & ad amplio-  
rem suæ miseræ calamitatem nunquam  
obliuiscantibus. Vt igitur intollerabi-  
lem hanc euadamus miseriam, atque  
inexcogitabilem confusionem, horro-  
rem atque angustiam, timeamus mo-  
do & confiteamur sincerè cum multa  
erubescencia peccata nostra, nec ab-  
scōn

scandamus iam à Christi vicario, quod tunc latere optamus in extremo iudicio. Est autem & aliud singulare vniuscuiusq; morientis iudicium, non minus isto singulis præmeditandum ac metuendum dum videlicet anima à corpore exiens, ad Christi repentè tribunal protrahitur, illicque astantibus & accusantibus malignis spiritibus iudicatur.

*Quid feria quinta meditandum*

*De pœnis inferni. art. XLIII.*



Vemadmodum inenarrabilis est beatitudo sanctorum in coelo, sic prorsus ineffabilis est miseria reprobiorum in inferno: Quid ergo de ineffabili fari præsumo? Sed ad incitandum timorè, paulisper balbutièdo loq; desidero. Est enim in inferno in primis animarum ac dæmonum inconuertibilis auersio mètis à Deo, cui correspondet pœna damni, scilicet carètia visiõis diuinæ, quæ est summa infelicitas. Et quoniã in mortali peccato descenderunt vel recesserunt, perseverat in eis inauertibilis conuersio ad bonum creatum atq; caducum, in quo sibi finem statuerunt,

*Feria quinta  
quid medi,  
tandñ.*

& plus quàm summum bonum dilexerunt, & hoc est eis æternus cruciatus, quod tali bono frui nequeunt, neque in ipsius illicito vsu delitari sicut optauerant, possunt. Itaque æternaliter obstinati manent in malo, nec Deum diligunt sed odiunt & blasphemāt. Quoniam ergo in peccato mortali propter contemptum immensi DEI, est infinita enormitas, est in inferno interminabilis pœna: & quia reprobis illi miserrimi sunt vasa iræ, in quibus rigor atque seueritas diuinæ iustitiæ ostenduntur ac patent, ideo secundū magnitudinem diuinæ æquitatis instè torquentur. & cum sint Deo odibiles, sempiternæ obliuioni traduntur, nec vnquam miserabitur eorum creator. Vnde cum pœna ignis poenalisissima & maxima sit, primū præcipuūq; miserorum tormentum est ignis æternus. Nunc ergo redi ò anima ad te, & à distractionibus te elongans, intuere impiorum tormenta, quatenus à quorum miserando collegio separari vis post vitam hanc in supplicio, ab eorum quoque peccatis atque delitijs abstinere studeas in hoc mundo. Inspecce oculis internis carcerem metuendi iudicis,

*Sapient. 14.*

*Damnatorum tormenta.*

dicis, vt creditur in medio terre situm, vide illic terram tenebrosam & oper- *Iob 10.*  
tam mortis caligine, in qua densissi-  
mæ ac palpabiles tenebræ, in qua um-  
bra mortis & nullus ordo, sed sempi-  
ternus horror, perennis desperatio,  
atque amarissima omnis boni deso-  
latio habitant. Certa est ibi æterna  
damnatio, & quicquid desiderabile iu-  
cundumq; existit, longissimè & perpe-  
tuo abest quod aut odibile est atq; pœ-  
nosum, inevitabiliter adest. Audi illic  
vlulatû & gemitû, singultum atq; bla-  
sphemiã miseradissimorû reproborû,  
præ doloris ac desperationis horrore  
ac magnitudine linguas suas mandu-  
cantium, Deumq; cœli maledicentjû  
atque blasphemantium. Ibunt enim à  
calore nimio ad aquas nivium. Ignis *Iob 34.*  
quoque eorum non extinguetur. nec *Esaiæ 66.*  
vermis morietur. Inuocabunt mor- *Apoc. 9.*  
tem & fugiet ab eis: Erit ibi horribilis  
aspectus dæmonum & mutus ran-  
cor, ac summa inuidia singulorû: nisi  
q; se tunc illi amplius odibunt in sup-  
plicio, qui hic familiarius consenti-  
unt in peccato. Intolerabilis aderit  
foetor & gemens societas, pressura &  
calidissima flâma atq; inexcogitabile  
frigus.

frigus. O poena quæ nunquam finiris,  
 nunquam abbreviaris, nunquam mi-  
 nueris. O infelix consortium, vbi v-  
 nusquisq; alterius auget tormentum.  
 Si hæc ò bone frater intentè p̄semus,  
 non solum non oblectabunt volupta-  
 tes carnales, neq; de eo tantum lætabi-  
 mur, gratiasq; agemus, quod ab hoc  
 nequam sæculo crepti sumus, sed &  
 miseris quoq; mundi amatoribus ve-  
 hementissimè compatiemur, atq; pro  
 eis affectuosius diuinam bonitatem  
 precabimur. Insuper ad nihilum de-  
 ducetur in cōspectu nostro malignus,  
 timentes autem dominum glorifica-  
 bimus.

*Psal. 14.*

*Sexta feria meditandum: de passione  
 christi. Articulus XV.*

*Feria sexta  
 quid medi-  
 tandum.*



I scire cupis quali te Christus  
 charitate dilexit, intende  
 quanta pro tua salute ptulerit.  
 Proinde si peccati grauitatē,  
 enormitatemq; agnoscere optas, con-  
 templatē q̄a aliter peccatū mūdi tolli  
 non potuit, nisi ipse mūdi creator, ve-  
 rusq; Deus, id ipsū incarnatus proprio  
 sanguine aboleret: & ita cogitās Chri-  
 stum diligere, & peccata abominari  
 inci

incipies. Acerbitatem at varietatem *Cant. 12*  
 passionis domini tui, tibi sub pectore  
 tuo tanquam fasciculum myrrhæ re-  
 conde, & ne tantæ charitati ingratus  
 sis, quotidie eam deuotissima rocole  
 mente, atque in ea vide & disce, quid  
 te oporteat facere, quomodo pati ad-  
 uersa & CHRISTI imitari vestigia, *1. Pet. 2.*  
 seruum eius condeceat. Recordare ita-  
 que illius sacratissimæ nouissimæ cœ *Ioan. 13.*  
 næ, & quomodo in ea charitatem edo *Matth. 26.*  
 cuit, tam verbo quàm opere. Verbo *Ioan. 13.*  
 quidem dum dixit: Mandatum nouū *Lucæ 22.*  
 do vobis vt diligatis inuicem. Opere  
 autem dum proprium corpus in cibū, *Marc. 14.*  
 & sanguinem dedit in potum. Quem *Ioan. 18.*  
 admodum etiam in ea humilitatem *Lucæ 22.*  
 summè instuxit, Discipulorum ablu *Matth. 7.*  
 ens tergensque pedes, & id nobis imi- *Esaiæ 56.*  
 tari præcipiens. Denique quomodo *Lucæ 22.*  
 factus in agonia prolixius orauit, & fa- *Ioan. 19.*  
 ctus est sudor eius sicut guttæ sangui- *Marc. 14.*  
 nis decurrentis in terram: quomodo *Ioan. 19.*  
 postea traditus, captus atq; ligatus ad *Lucæ 23.*  
 domum pōtificis ductus est, & quomo- *Ioan. 19.*  
 do nocte illa potestati tenebrarum  
 concessa illuserunt ei, cædentes, velan-  
 tes, conspuentes, colaphizantes ac bla-  
 sphemantes filium Dei, & sanctum

sanctorum. Et qualiter ipse, non auertit faciem suam ab increpantibus & conspuentibus se, patientiam docēs, seq̄ patientiæ formam efficiens. Præterea quomodo ligatus & consputus, p̄sidi tanquam seductor præsentetur & accusetur, quomodo ab Herode contemptus, alba veste irrisus sit. quē admodum demum nudatus, atque flagellis dilaniatus, & liuore ac plagis repletus, purpura induatur, & spinis coronetur, totoque vultu, sanguine madens & rubens. Denuo flexis genibus adoretur. conspuatur, tanquam vilissimus hominum propter te reputetur. Et quomodo sanctissimum eius caput iam spinis confixum percusserunt arundine, diuino capiti spinas acutissimas profundius imprimentes, Quemadmodum etiam hinc baiulans sibi crucem exiuit, & inter latrones suspensus sit, manibus pedibusque transfixis, cunctisque membris intantum vt omnia eius ossa dinumerari potuissent, pœnalissimè distentis. quomodo felle potatus sit, & pro crucifixoribus exorauit, atque tam amarissimè passus sit, vt se à patre relictū clamaret, & astantem sibi matrem discipulo

com-

*Matth. 27.*

*Matth. 15.*

*Ioan. 10.*

*Luce 23.*

*March. 27.*

*Ioan. 19.*

commendavit. Hæc meditari iustum est & salubre, Deoque gratum, & ad omnem virtutem instructivum singularemque gratiam atque internam devotionem potissimè à Christo conquirens, & ad eius sequendam patientiam, obedientiam, humilitatem & charitatem vehementer inflammandus: In omni quoque tentatione non est efficacius dandum remedium, quam ad Christi passionem confugere. Cōpatientem demum filio suo dilecto ac vnicò dulcissimæ matri ac virginæ genitrici affectuosa mente condolere debemus, & sincero diligentique corde reuoluere, quemadmodum in omnibus ijs præcordialissimo suo vnigenito ardentissima atque pijsima mater compassa sit, quæ si constanter recogitemus, omnis vtique rancor, omnis torpor, omnisque voluptas longè fugient à cordibus nostris, & conabimur abnegare nos, & assequi Christū. LUC. 9.

*Sabbato meditandum, de recordatione humili propriorum peccatorum. Articulus*

XVI.

z 7

Cum

*Sabbato me-  
ditandū quid*

*Psal. 5.  
Esai. 59.*

*Peccatorum  
recordatio  
viliis.*

**C**VM autem ex similitudine amor nascatur, id solum nos Deo facit odibiles, per quod efficimur ei dissimiles. Hoc vero peccatum est, ille enim sanctus est. Peccatum autem nos reddit immundos & impios. Ideo ait scriptura: Odisti omnes qui operantur iniquitatem. Et denuo: Peccata vestra diuiserunt inter Deum & vos. Itaque cum peccatum sit languor & immunditia, mors, turpitudineque animæ: volens à peccatis purgari, ea ad mentem reducat, & quantum poterit ea exaggeret, ponderet atque magnificet, quatenus de eis amplius doleat seque magis humiliet. Quo nanque peccata nostra clarius videmus & confitemur, eo diuino conspectui vehementius absconduntur: & quo de ipsis magis cōpungimur ac verecundamur, eo amplius tam culpa quàm pœna consumuntur: quo insuper ipsa plus magnipendimus, eo Deus ipsa minora diiudicat: & quantum ex ipsa peccatorum atque defectuum suorum consideratione se anima profundius deijcit & humiliat, eo coram Deo sublimior

limior fit. Multa proinde sunt, ex *Multa sunt*  
 quibus peccata nostra enormitatem *peccata ag-*  
 & grauitatem acquirunt. Primo, *grauantia.*  
 propter maiestatem & sanctitatem  
 eius, qui legem præceptaque dedit,  
 quem peccando mortaliter propter  
 inobedientiam spernimus, & inho-  
 noramus. Venialiter autem pec-  
 cando aliqualem ei irreuerentiam ex-  
 hibemus, coram tam sancto immen-  
 soque diuino Domino, non satis ti-  
 moratè & syncerè conuersantes: in  
 cuius cōspectu merito cum omni tre-  
 more ac sollicitudine ambularemus,  
 pauentes ne vel in modico immensi-  
 tatem sanctitatis atque iustitiæ eius  
 inhonoraremus. Secundum peccata  
 nostra aggrauans est, ingratitude de  
 beneficijs Dei. Quo enim ille plura  
 nobis beneficia præstitit, eo magis ob-  
 ligamur ipsum diligere: grauiusque  
 peccamus non obediens, nec hono-  
 rantes tam benignissimum ac libera-  
 lissimum benefactorem. Tertium au-  
 tem quod culpam aggrauat, est, quod  
 toties ea peccata reiteramus. Vulne-  
 ra nempe repetita durius lædunt, &  
 difficilius sanantur. Sunt quoque aliæ  
 causæ ac circumstatiæ multæ peccatū  
 grauantes,

grauantes, vt quod ex proposito malū  
 agimus, quod scientes viam iustitiæ,  
 nihilominus iniuste fecimus, quod in  
 sacris locis seu in diuinis laudibus  
 mala cōmisim⁹, q̄ bona, vana inten-  
 tione operati sumus. His igitur ritē  
 pensatis, ponat se homo coram Deo  
 suo in loco quieto seu opportuno,  
 commemoretque peccata sua grauio-  
 ra conscientiam magis mordentia: &  
 illa secundum iam præacta magni-  
 pendat & aggrauet, atque ex totis præ-  
 cordijs dolens, dicat: Heu Deus crea-  
 tor, quod infelix ego te summum &  
 omnipotentem & immensæ sanctita-  
 tis Dominum, sic irreuerenter offen-  
 di, hoc & hoc peccatum, tibi in obedi-  
 ens, teque contemnens effeci, tibi  
 tam ingratus fui, toties hoc & illud  
 repetui. Et si forte bonum aliquid fe-  
 ci, proprium honorem & gloriā quæ-  
 siui, non te solum intendi. Hęc dicens,  
 compungatur & erubescat, seque hu-  
 miliet, & diuinam misericordiam, be-  
 neficia, & merita Christi rememorās,  
 spem resumat, atque emendationem  
 firmiter proponat, & pro posse pœnā  
 sibi condignam infligat. Et reuera  
 tāta est omnis peccati mortalis enor-  
 mitas,

*Accusatio  
 peccatoru.*

mitas, vt merito pro vno ac minimo tali, cunctis diebus vitæ nostræ, nos vsque ad puluerem, & sub brutis quoque humiliaremus, à contritionis dolore nunquam cessantes. Non tamen sit dolor iste semper continuus, sed frequens & opportunus. Sed & inde nos præsertim dolere & contristari debemus, quod post abnegationem mundi & ingressum cœnobij tam negligenter infructuoseque viximus, & cum tepore atque accidia opus Dei efficimus. Porro nisi in vera humilitate omne nostrum exercitium fundetur, omnisque inanis ac elata cogitatio penitus abiiciatur, vniuersum spiritualis structuræ ædificium cito cadet, & omnino peribit.

*De preparatione ad ministerium,  
celebrationemq; missæ.*

*Articul. XVII*



Vm ad venerandum altare Dei, & sacratissimam atque diuinam mensam Christi proponis mi chare frater accedere, quatuor diligenti corde intende, Primo teipsum qualis sis. Secundo

do

*Quatuor me-* do maiestatem eius, cui hostiam  
*ditanda ante* sacram offers. Tertio ipsum sacri-  
*celebrationē* ficium in se quale & quam sublime  
 existat. Quarto causam propter quam  
 hæc oblatio instituta est. Priusquam  
 ergo ad celebrationē accedis, discute  
 conscientiam tuam, & quicquid in ea  
 Christo displicens seu charitati cōtra-  
 rium inueneris, per internū dolorem,  
 synceram confessionem, ac humilem  
 satisfactionem, emenda & dilue. Con-  
 sidera quoque miseriam ac fragilita-  
 tem, insufficientiam, & ingratitude-  
 nem tuam, quatenus cum profunda  
 humilitate, & reuerentiali timore ac-

*Oratio cele-*  
*braturi.*

cedas, dicque in secreto Deo tuo: Tu  
 Domine vniuersorum, in cuius con-  
 spectu omnis creatura tanquam ni-  
 hilum est & inane, omnipotens, & mi-  
 sericors, ac metuende Deus, tu Domi-  
 ne nosti imperfectum meum, & ini-  
 quitates meas multas & magnas tu  
 vides. Confiteor Domine & agnosco,  
 quia nimis indignus sum, vt ego tam  
 ingratus & negligens, tam vilis &  
 immundus, tam pauper & iniustus,  
 altari tuo assistam, & te regem gloriæ  
 vngentum Dei, aeterno patri offerā,  
 & te contrectē atque māducem. Sed o  
Christe,

*Johan. 6.*

Christe, tu q te à nobis sumi iussisti, qui mihi ordinē cōtulisti, & eius à me obsequium exigis, da propter hāc tuā ināstimabilem dignationē, charitatē & misericordiam mihi gratiam, vt te tam humiliter, tam timoratē, tāq; reuerenter, & affectuosē tractē & sumā, sicut decet & tu requiris. Præterea intue- re maiestatem eius, cui sacrificiū immo- las. Quoties .n. celebras, toties omni- potēti, æternoq; patri dilectū ac vnicū suū fil ū offers. Cōsidera q̄ magnū sit tale officium, & cū quanta puritate & reuerentia, quo timore & feruore, tā supexaltato Deo astare, & immolare oportet. Insup vide hoc sacramentū in se, q̄ sanctum & nobile, reuerendū, at- que amandū existat. Continetur enim sub forma panis, ex vi consecrationis caro Christi, & sub specieb<sup>9</sup> vini, san- guis ipsius, vtrobiq; tamē verē est tot<sup>9</sup> Christus, Deus & homo. Itaq; quū dis- similia nolunt vniri (similitudo enim facit vnionē bonā esse atq; decētē, dis- similitudo autē facit eā nociuā, ipsaq; corrūpit: vt si aquam igni cōmiscas) perscrutare diligenter aateq̄ Christū accipias, si te ei conformem, & assi- milatū inuenias: alioquin vnio tui cū

co

*Contenta  
sub specieb.  
panis &  
vini.*

*Leuit. 19.**Matth. 12.*

eo innaturalis erit, nociua nec per-  
manes. Denique ipse quem tractas &  
sumis sanctus & purus est, mitis & hu-  
milis, amarus & innocens. Nisi ita-  
que te quoque talem inuenias vel  
actu, aut certè in affectu, atque secun-  
dum aliquem gradum, utpote, vel in  
gradu incipientium, vel perfectorum,  
vel medio modo se habentiũ ac pro-  
ficientium, non utique accedere expedit.  
Veruntamen quum sit hoc sacra-  
mentum medicina peccati, & remedi-  
um eius, si nondum à passionibus at-  
que peccatis emundatus sis; doles ta-  
men de eis, & emendationem omni-  
no proponis, tunc communio & cele-  
bratio plurimum expedit, & ad illicitos  
passionum motus frangendos ma-  
xime confert, & deuotionem ac cha-  
ritatem præcipue alit & auget. Porro  
causa institutionis sacramenti istius,  
& commemoratio charitatis passio-  
nisque Christi, & cæterorum quoque  
beneficiorum eius, ut videlicet toties  
eius accendamus amore, quoties pi-  
gnus ac memoriale dilectionis suæ ac-  
cipimus. Sunt autem & aliæ multæ  
causæ, utpote subsidium militantis  
ecclesiæ, salus viuorum, requies defun-  
ctorum,

*Causa insti-  
tutionis sa-  
cramenti al-  
taris.*

storum, & quotidianorum quoque  
 medela defectuum. Qui itaque pro  
 his Deum dignè exorare in missa cu-  
 pit, eget utique, vt se Dei idoneum  
 atque syncerum ministrum exhibeat.  
 His igitur pensatis, cum reuerentia &  
 timore, atque affectu accedendum est,  
 & requiritur in ipso officio actualis  
 deuotio, quam is raro habebit, quo  
 missa peracta se cito effundit, & ad  
 vana conuertit. Necessè est enim, vt  
 qui dignè celebrare desiderat, post  
 missam studeat Deo de donis suis gra-  
 tus esse, memor & custoditus & ante  
 missæ exordium, se (vt dictum est) præ-  
 pararet, atque in omni sua conuersatio-  
 ne sollicitus sit, & ea de quibus confi-  
 tetur quamuis parua appareât, postea  
 pro posse caueat, ac magis custoditus  
 sit. Et reuera dum post confessionem  
 incauti, negligentes, & leues mane-  
 mus, vt ante, signum est non ex vero  
 dolore, sed ex arida consuetudine nos  
 esse confessos. Ideoque nil prorsus  
 proficimus, sed indeuotè, rudes, & cru-  
 di manemus. Denique horæ ipsæ ca-  
 nonicæ, ac laudes diuinæ non impro-  
 uisa vagaque mente inchoandæ sunt,  
 sed ante earum inceptionem dirigē-  
 dus

*Actualis  
 deuotio.*

330 D. DIONYS. CARTH.

duſe eſt ſpiritus ad creatorem ſuum, & deuotum aliquid cordi infundendum eſt, & poſt earū expletionem, & mox effundenda, ſed cuſtodienda eſt anima. Vnde ſi ſemper actualiter intenti eſſe ad omnia ſacra verba nequimus, ſaltem cum feruore ac attentione inchoemus, quatenus ſic virtus principij remaneat in ſequentibus, & à primordiali attentione totum opus ſortiatur virtutem. Alioquin modicus error in principio, magnus erit in fine.

*Philoso.*

*De ſolido cibo perfectorum.*

*Articulus XVIII.*

**S**t in Chriſtiana doctrina lactea eſca, qua illi qui nondum exercitatos habēt ſenſus, alendi ſunt, qui interna & ſpiritualia necdum guſtauerunt, neque perfectorum ſermonum capaces facti ſunt. Hi quippe quum parūuli adhuc ac teneri in Chriſto ſint, circa exterioris hominis cultum, paſſionumque reformationem egent inſtitui, atque à manifeſtis malis compeſci. Porro perfectorum eſt ſolidus  
cibus,

DE VITA SPIRI. 551

cibus, quemadmodum ait Apostolus: *Hebr. 5.*  
Sapientiam loquimur inter perfectos. *1. Cor. 2.*

Hic autem solidus cibus, sermo est mentalis puritatis, ac intimæ perfectionis, consistens in hoc, ut mens ipsa, vni vero summo bono, quod solum necessarium est, syncerè atque stabiliter infigatur atque adhæreat. Quoniam ergo *Luc. 10.*

iam in hac ædificatione de his quæ ad hanc perfectionem, ac solidum cibum disponunt, breuiter dictum est: nunc de ea, quid ipsa sit paulisper differendū. Est autem diuinæ veritatis, seu summæ deitatis munda speculatio, & bonitatis diuinæ feruens dilectio. Enimvero ad hanc speculationem & dilectionem, omnis cognitio & amor creaturarū omnium ordinanda sunt, ad quam tamē cōtemplatio humanitatis passionisq;

Christi, & eorū quæ ad eam pertinent, *Quid vera & ipsorum dilectio potissimè erigūt, sit sapientia,* atque coadiuuāt. Deniq; quo diuinitas ipsa omni creatura melior est, atque præstātor: eo ipsius cōtemplatio dignior est, & amor desiderabilior. Sed & cum amor procedat ex cognitione, & ex utroque deuotio, quæadmodū diuinitas optima est atque dulcissima, sic eius speculatio sincera maximaque, quantum

*Ex cognitio-  
ne amor, ex  
vtrouque de-  
uotio statu-  
rit.*

quantum in se est deuotionem causat in mente. Sed necesse est animam per ethicam seu moralem scientiam esse dispositam, & per veram atque internam pacem fore apratam. Pax ista est tranquillitas ordinis, seu quies à perturbatione: dum scilicet in nobis caro obedit spiritui, & sensualitas rationi, passionibus mitigatis, & appetitui rationali subiectis. Vnde à perturbatione prorsus cauere oportet, & ad tranquillitatem, & mansuetudinem animam semper inducere. Itaque vt ex visibilibus creaturis, ad inuisibilis creatoris contemplationem queas asurgere, considera ordinem rerum. Est nempe in entibus ordo, & species rerum se habent vt numeri, & ad inuicem ordinatissimè concatenatæ sunt. In ordine autem necesse est vnum esse primum, & vnum vltimum. Est igitur in vniuersitate vnum primum ens. Hoc autem primum ens necesse est esse incausatum, ac independens. Si enim causatum est, habet causam ante se, & sic non erit primum. Quumq; hoc ens sit à nullo dependens, est ens per essentiam, & est à se, seu per seipsum: ergo est æternum, nunquã enim desinet.

*Philoso.*

*Primum ens*

desinet, q̄a nec incepit. Ad hæc in omni ordine, primū est in illo ordine p̄fectum, sicut primū calidū est p̄fectè calidum. Primū igitur ens est p̄fectū. Nam cum sit primū, & p̄ essentiam: nō pōt in eo natura entis esse minorata à plenitudine suę p̄fectionis, Nihil enim im̄p̄fectū est, nisi prout est distans à fonte suę p̄fectionis. Ideo q̄ est sibi ipsi ratio existendi, habet esse oīo p̄fectū. De<sup>o</sup> igitur ē ens, in quo est oīs nobilitas, omnisque p̄fectio, & plenitudo ipsius esse. In diuino ergo esse, est vita, sapientia, felicitas: omnipotētia, sanctitas: & quicquid ad ornatū atq; decore ipsius esse pertinet. Præterea quod p̄fectum est & primum, necesse est esse simplex. Si enim compositum est indiget his ex quibus componitur, & habet componentia sua ante se, neque est in seipso substantialiter p̄fectū, sed per additionem vnius ad aliud; & vnumquodq; componentium indigeret alio. Primum ergo ens quum sit p̄fectū, est simplex: Non ergo diuersificantur in eo esse, posse & agere: in Deo itaq; vnū idemq; existunt, essentia, potentia, & actio. Est quoq; Deo idem, & potentem ac sapientem seu felicem &

*Perfectiones  
diuinae.*

aa

san.

*In Deo idē sunt essētia,* sanctū esse. Omnia enim hęc non sunt in ipso, nisi pura, pfecta q̄ vnitas. Por-  
*potentia, & actio.* id q̄ perfectum est, simplex est: mate-  
 riam non habet, Materię enim est re-

*Deus omni sensibili qua- litati caret.* cipere & pati atq; moueri: & ipsa est  
 contingentię radix, ac imperfectiōnis  
 origo. Deus ergo materia caret, quod  
 aut sine materia est, dimensionem nō  
 habet. q̄ritas enim sequitur materiam,  
 Deus ergo corporeā magnitudinē nō  
 habet. Ideoq; indiuisibilis est & incor-  
 poreus, insensibilis, omniq; materiali  
 atq; sensibili qualitate carens. In sup-  
 omni quoq; passiuā potentia caret, cū  
 sit actus purus. i. natura nullam potēs  
 perfectiōnem sortiri ab alio, & ob id  
 immobilis & incōmutabilis est. Quod  
 autē simpliciter perfectum est, necesse  
 est & infinitum esse. Si enim perfectio  
 eius finē haberet, non vtique esset om-  
 nino perfectum. Quod vero infinitum  
 est. incomprehensibile est, & quod in-  
 comprehensibile est, id ineffabile esse  
 constat. Deus itaque immensus est, in-  
 comprehensibilis, & ineffabilis. Talis  
 ergo est amantissime frater Deus no-  
 ster, ad quem tendimus, qui est in æter-  
 num sublimis & benedictus, Amen.

*1. Paral. 16.*  
*Danielis 3.*  
*Roman. 4.*

ergo est amantissime frater Deus no-  
 ster, ad quem tendimus, qui est in æter-  
 num sublimis & benedictus, Amen.

INDEX